

namus, ut ea omnia e medio submoveantur, quae Complemento desiderij nostri, quo in praesente rerum Articulo una Nos adduxit summa necessitas, morem possent objicere. Inde est, quod dum praeclarum Fidelitatum Vestrarum Erga Nos et causam publicam zelum a summis studijs, quibus Jura Praerogativasque Suas tutas praestare cupiunt, metimur, futurum prorsus non ambigamus, ut Vota Nostra cum Regnorum Nostrorum Commodis conjuncta si unquam, hoc cumprimis tempore omni ulteriore mora abrupta expleantur. Equidem postulatum nostrum ex eorum genere est, quae in Regnorum Comitibus discuti solent alias; at Comitibus nunc quidem cogi temporis Angustiae prohibent. Quemadmodum autem nullatenus ea est Intentio Nostra, ut quae ad Diaetas spectant, per privatos tractatus abinde abstrahuntur, ita certas reddimus Fidelitates Vestras, ut primum Deo Auspice alma Pax revecta fuerit, id nobis praecipuo inter reliquas Regnorum Curas Loco futurum, ut in Comitibus mox attunc agendis horum quoque Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum felicitati quaquam licebit provehendae Regiam impendamus sollicitudinem. In novo hoc eventu nihil de Sacerrimis Legibus detrahetur. Quam alienae ab eo simus, ut Regnorum Nostrorum Hungariae Croatiaeque Ordines Cautionem super anticipandis Decem Millionibus, cum propriarum Facultatum Suarum periculo assummant, inde ubertim liquet, dum rem ea ratione agi constituimus, ut fundum illum excontentationis ex Contributione, et proventibus Salis et Tricesimarum, qui Nostri sunt, profluentem pro plena Securitate ad Nostram Regiam suamque fidem Liberandam recipiant, porro hunc in Creditores illos transcribant, qui pecunias reipsa numerabunt, atque sic iidem Creditores pignus seu realem Hypothecam in memoratis fundis sibi constitutam obtinentes Annuos Census, evolutis vero Solutionum Terminis, ipsam mutuatam sortem, quin ullum onus memorata Regna Nostra exhinc maneat, recipiant; sed neque illa est voluntas et Intentio Nostra, ut ex hoc incidente sive oneris fundo inhaesio, aut Cautio pro Conventa Contributione quaquam ratione inferatur, cupientes praenotatorum quoque Regnorum Nostrorum Universos Status et Ordines in justis suis Juribus, Praerogativis et Benignis Concessionibus clementer conservare.

Remotis itaque hac ratione ac sublatis difficultatibus, quae amplectendis Nostris Consiliis moram adusque injecerant, spe ducimur futurum, ut Fidelitates Vestrae de hac Benigna voluntate et sincero adeo Animi Nostri sensu edoctae, missis omnibus Ambagibus pronis Animis, quemadmodum ex parte Veroczensis et Posegani Comitatum, Regno Croatiae equidem applicatorum, at vero, qui publicam Contributionem eo perinde ac reliqui Regni Hungariae Comitatus modo quotannis praestant, cum multa sui commendatione factum jam est, votis Nostris plene subscribant.

Ad Felicem itaque operis Consumationem, tam Nostrarum Regiarum Assecuratoriarum Litterarum, quam et Litterarum Obligatoriarum omnium Regni Nostri Hungariae et partium ei annexarum Comitatum, atque adeo Hungariae, et quae ad ejus Coronam spectant Regnorum Nomine per Regium Nostrum Locumtenentiale Consilium, cui Comes Regni Hungariae Palatinus praest, quodve rem Contributionis ex ipso Regni Legum praescripto pertractandam habet, expediendarum formam Fidelitatibus Vestris transmittimus, Eisdem majorem in modum hortamur, pro eo nunquam satis commendando studio, quo summam Servitij Nostri, gloriae item et commodi repetitorum quoque Regnorum Charae Nobis Gentis